

Kern  
1661a

Kern 16679



ANALECTA  
DE  
INFLAMMATIONE.

---

---

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,  
IN  
REGIA FRIDERICIANA,  
PRAESIDE  
D. IOAN. FRID. GOTTLIEB  
GOLDHAGEN,  
MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE  
NATVRALIS  
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,  
CIRCVLI SALICI, COMITATVS MANSFELDENSIS  
ET  
CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,  
PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
SOLLEMNITER CONSEQVENDO  
AD D. XVIII. MART. CIOIOCCLXXXIII.  
H. L. Q. S.  
PVBLICE DISSERET  
AVCTOR,  
IOAN. CAROLVS AVGVSTVS BARTELS,  
H A L L E N S I S.

---

HALLAE,  
TYPIS HENDELIANIS.

Dubl. 7a

Kenn 34,80 (2)





## P R A E F A T I O .

---

**E** tota morborum multitudine & copia, tertiam fere partem febrium nomine esse designandam, a claris medicis indicatum, neque a quodam in dubium vocatum est; febrium vero abundantiae & farraginis dimidiam forte partem explere inflammationes, extra dubitationem quoque videtur omnino esse positum. Quemadmodum vero nemo medicorum vllum aegritudinum genus magis cognitum sibi, ac perspectum, reddere debet, ac febres, quoniam idem non saepius solum obuenit,

A

fed

---

sed celere etiam, ob acutiem suam,  
medici exposcit auxilium; ita profecto  
non minus oportet, vt inflammatio-  
num genium medicus studeat perspi-  
cere. Quare non superfluum prorsus  
mihi videor laborem suscipere, quum,  
quis inflammationum sit genius, osten-  
dam pro viribus, siquidem is nondum  
videtur a medicis ita cultus esse, ac  
debet: deberet tamen omnino magis  
coli, quoniam curatio genio inflamma-  
tionum prorsus adaptari debet, vt,  
nisi sit, metuaris, ne incongrua non  
raro aegrotis medicina fiat.

---

§. I.





§. I.

**D**e inflammationibus scripturum oportet quidem, primum definitionem earum dicendis praemittere: at, quatenam inflammationis essentia sit, a variis varie disputatur, ut in hanc inquirendum sit, postquam differentias inflammationum enarraui. *Alii* enim cum veteribus, ut GALENO, ORIBASIO, AETIO, PAVLLO AEGINETA, eam in congestis ad quamdam partem humoribus, inque transfudante per arterias sanguine, seu in cellulosam extrauasis humoribus; *alii* cum STAHLIO, huiusque adseclis, ut GORTERO, B. de SAUVAGES, R. WHYTT, MACBRIDE, FABRE, in tonico vasorum motu aucto; *alii* in irritabilitate potius adaucta; *alii* cum BOERHAVIO in stasibus atque obstructionibus vasorum sanguiferorum, cum maiori impetu humorum, a tergo motorum; *alii* in sola humorum tenacitate; *alii* in acrimonia, partes sensiles irritante, *alii* in alia conditione, quaesierunt.



## §. II.

Sub hoc clarorum virorum dissenſu, argumentorumque pro probanda, aut deneganda, huius illiusve ſententiae collifione, neceſſe eſt, vt, potiffimum per phaenomena inflammationum, verum earumdem genium inueſtigemus.

Inflammationum phaenomena redeunt ad dolorem, calorem, ruborem, tumorem, ſtaſes, obſtructiones vaſorum ſanguiferorum, ſanguinisque frequentem in cellulofam errorem, lymphae tranſudationem periphericam; vt horum tamen pleraque & adſint, & deficient, non raro, quin tamen inflammatio dicatur, modo functio partis laeſa fit per febrim, aut dolor, calor, adſint.

Dantur enim profundae inflammations, vbi latet, num tumor, rubor, obſtructiones, rel. adſint, vt de harum praefentia ex ſola dolorifica & febrili partis functione iudices.

Sed dolor tum interdum, v. c. in hepaticide & enteritide, abeſt, tum ſoli ſpasmus quandoque debetur, tum in malignis, putri-



---

putridis, rel. deficit, aut non tam de inflammatione testatur, quam de humore putrido, bilioso, irritante: functio autem partis sub alia longe constitutione non raro laeditur, neque in omni inflammatione semper laeditur, vt in inflammatione cerebri; quin & febris non raro deficit, aut soli spasmo debetur.

E contrario inflammationes dicuntur non febres solum comites & symptomatice habere, sed esse potius febrium symptomata, dum inflammationes in variis partibus oboriuntur, postquam per aliquot dies febris duravit.

Sed in his sedes inflammationum non raro tam saepe ac subito mutatur, vt profecto ob solis partis dolorem acutum, & quamdam eius laesionem de inflammationis praesentia non statuunt Cl. viri in febribus.

Praeterea vero non acutae solum inflammationes commemorantur, sed chronicae etiam, quarum & minor dolor, aut nullus, & minor, aut nulla febris fit.

§. III.



## §. III.

Quare non facile semper e pluribus simul sumtis inflammationum symptomatibus, sed collatis potissimum inter se, & respectu ad morbum primarium habito, de inflammationum praesentia statui potest.

Neque negligi poterunt, quae iam dicam, sedes earum & sanguinis conditio.

Sedem inflammationum omnes ad partes solidas, ac maxime quidem vasa, eademque sanguifera, restringunt, ut affinis rheumatismus serosa & lymphatica potius occupet: ut in his sit humorum, cruoris, decubitus & detentio, atque *vel* mora maior sanguinis transituri, indeque stases & obstructio, *vel* acceleratus potius motus, maior tamen humoris in vasis accumulata quantitas. Fluida etiam, quod inter dispositionem, seu constitutionem inflammatoriam, aut inflammationum sequelas, referre solent, & potissimum serum, seu lympa, adficiuntur, ut haec *vel* resoluta, *vel* inspissata, nomine corii pleuristici seu crustae inflammatoriae, medicis & chirurgis veniant.

## §. IV.



## §. IV.

Quodsi vero & corium pleuriticum; & toties quoque obstructions & stases, occurrant citra vel leuem inflammationum suspicionem, non contradicentibus tot scriptoribus celeb., nonne *essentia inflammationis* ponenda erit in imminuta vi, humores, maxime cruorem, rite propellendi per vasa sanguifera partis, vt consistat in relatione copiae humorum ad vires?

Et tum quidem duplici ratione haec conditio adesse poterit. *Vel* enim maior omnino humorum copia ad partem, ceterum sanam, irruit, quam possit per vires sanas coërceri, quae quidem inflammatio *genuina, relatiua, benigna, actiua*, audit; *vel* copia tantum sanguinis eadem, ac in sanitate solet, ad partem defertur, vires autem mouentes labefactae efficiunt, vt sensim copia crescat, sanguine non rite promoti, quae inflammatio, *absoluta, passiuua, maligna, putrida*, scriptoribus dicitur.

## §. V.

His, quae dixi, haec quidem adiungenda sunt. Nimirum enunciaui quidem

§. IV.



§. IV. essentiam inflammationum ponendam esse in relatiua imbecillitate vasorum sanguiferorum ad humores tranfituros; neque tamen ea conditione tantum inflammationis essentia contineri videtur. Etenim in dubium vocari nequit, saepius eiusmodi subesse imbecillitatem, quin facile inflammatio adesse statuatur, vt potius stases, obstructions, infarctus, simpliciter ita dicta, adesse perhibeantur. Quare necesse erit, vt accedat maior vasorum sanguiferorum actio, vel motu tonico, vel oscillatione, earum adauctis, (vt lubet forte rem denominare) quae actio cum relatiua imbecillitate facile consistet; indeque symptomatum concursus is erit, idemque sanguinis status, & sedes aegritudinis, de quibus dixi §. III. Sola enim horum praesentia sufficiet de inflammationis existentia firmum reddere iudicium, quum vltior cognitio conditionis, *sine qua non* existat inflammatio, huc vsque me quidem, ne dicam omnes, fugiat.

Num forte (quoniam adaucta vasorum, inflammatione correptorum, irritabilitas rei explicandae sufficere non videtur) dum, vi contractili telam cellulosam  
non



non destitui, adsumseris, huius alienatam conditionem, modificantis ultra vaforum contractionem, tamquam caussam stabilire iuuabit? Num inde explicari posset, cur phaenomena inflammationum, supra dicta, compareant; cur inflammatio membranis etiam, vt pleurae, peritoneo, accidat, e sola cellulosa stipata enatis, vasis fere, & contractilitate manifesta & sensilitate, carentibus; cur in febribus sedes inflammationis adeo saepe alia; cur inflammationum phaenomena quaedam in mortuis, vbi in viuis earum symptomata deerant, & contra; cur inflammationes per suppurationem toties soluantur; & cur, ob retardatam & cohibitam depositionem lymphae corium pleuriticum in sanguine appareat, rel.?

#### §. VI.

In vtroque casu, §. IV. indicato, *vel* in arteriis, *vel* in venis, sanguis accumulari poterit. *Ille* status frequentissimus, omnibus cognitus est; *hic* paucis nuper sub *inflammationis venosae* nomine indicatus.

#### §. VII.



## §. VII.

Ab hac, quae e sede oboritur, essentiali inflammationis differentia, proxime abest, quae a causa enascitur, siquidem ad essentiam rei pertinet, causam agnoscere. Ea igitur consideranda varia esse deprehenditur. *Vel* enim in solidis, *vel* in fluidis causa latet; *vel* in utrisque.

Si latet *in solidis*, *vel* est in loco inflammato, *vel* in remoto. Si in hoc, iterum *vel* haeret in loco superiori, *vel* inferiori, *vel* in utrisque.

*In loco inflammato ipso haerens causa, idiopathica*, redit ad imminutam actionem vasis, pulsus in arteriis languentem, contractionem in venis imminutam. *Remotae* imbecillitas connata, ut cerebri, pulmonum, vasorum sanguiferorum, aut debilitas particularis, oritura e causa multiplici, spasmu, irritamento vel idiopathice, vel sympathice, agente.

## §. VIII.

*Causa haerens in loco superiori, sympathica*, redit ad frequentiore[m] solito cordis  
dis



dis maiorumque arteriarum, contractionem, maioremque sanguinis copiam ad ductam in arteriis, in venis praeterea & ad arteriarum actionem conspirantem. Quidquid igitur maiorem copiam sanguinis dato tempore ad minores arterias, venasue vrget, id *caussa inflammationis remota* erit, sub conditione.

*Caussa haerens in loco inferiori, sympathica* quoque, erit languidus sanguinis venosi motus. Quidquid igitur motum sanguinis venosi retardat, vti rarior cordis contractio, rariorque inde sanguinis venosi per cor & pulmones circulus, vberior lymphae ad venas transitus, id *caussa inflammationis remota* erit, sub conditione.

*Caussa haerens in loco superiori & inferiori simul*, ex utroque statu diiudicari debet. Exemplum in intestinis habetur.

### §. IX.

*In fluidis* latet inflammationum caussa, si maior sanguinis densitas, siue resolutionem, siue spissitudinem, tamquam caussam eius accuset, obtinet, quam, vt possit sanguis



guis minora vasa sanguifera tranfire, aut omnino, aut facilius faltem.

§. X.

*In utrisque, tum solidis, tum fluidis,* cauffa inflammationis haeret, fi relatiue tantum pro viribus motricibus vasorum sanguiferorum densitas sanguinis adest, maior; vt, nisi vires motrices essent labefactatae, densitas sanguinis inflammationem productura non esset, nec a labefactatis viribus motricibus inflammatio esset progenita, nisi densitas sanguinis concurreret.

Poterit autem ea densitas concurrere cum idiopathica, vel sympathica, virium motricium vasorum sanguiferorum minorum imbecillitate.

§. XI.

Accedamus iam ad differentias inflammationum accidentales generales, vt deinde, his generalioribus praemissis, speciales a cauffis sequantur.

Inflammationes ratione originis sunt vix quidem *haereditariae*, nisi chronicas & laten-



latentes forte arbitreris aliquando esse; facilius autem sunt *congenitae*, tum in vtero, tum sub partu enatae, certe autem hae solos infantes tenent. *Adquisitae* omnino sunt pleraeque, eademque omnis sexus atque aetatis, vitaeque generis homines detinent, omnique anni tempore accidunt.

*Protopathicae* an dentur, dubitari debet, siquidem, si vel a peculiari causa videantur oriri, morbum tamen alium supponunt, tamquam causam; *symptomaticae* e contrario rectius omnes habentur, imo non raro symptomata tantum sunt, ut inflammationes, a febris oriturae, denominandae sunt.

## §. XII.

*Contagii* ipsae videntur esse expertes omnes, nisi, quae morbo, qui subest, tribuendae sunt, inflammationibus tribueris, ut tamen, quod ad exanthemata attinet, haec fere omnibus videantur sua natura esse: attamen ne in his quidem videtur satis euictum esse, vtrum sua natura contagiosa sint, an per morbum potius, qui subest.

Sunt

Sunt porro non raro *sporadicae*, verum & *epidemicæ* grassantur, tumque & *stationariæ* & *intercurrentes* sunt.

### §. XIII.

Quoad inflammationum sedem dubitari debet, num *uniuersalis* detur, & negari potius, nisi caussum, febrim, pro vniuersali inflammatione accipere volueris; *topicae* e contrario omnes rectius esse statuuntur.

Sunt autem a sede variae, nimirum  
 1) *exanthematicæ*, pestis, variolæ, morbilli, pemphigus, miliaria, petechiæ, erysipelas, scarlatina, effera, aphthæ.  
 2) *membranaceæ*, phrenitis, paraphrenitis, pleuritis, gastritis, enteritis, epiploitis, metritis, cystitis, otitis; 3) *parenchymatosæ*, cephalitis, cynanche, carditis, peripneumonia, hepatitis, splenitis, nephritis, rel.

Eas omnes porro tum *idiopathicas*, tum *sympathicas* esse, quisque, arbitror, concedet.

*Fixas,*



*Fixas, vagas & retrogradas*, dari inter omnes facile constat, vt nemo, *externas* aequae, atque *internas* esse, abnegauerit.

#### §. XIV.

Inflammationes porro esse leues & graues, magnas & paruas, regulares & irregulares, benignas & malignas, *actiuas* & *passiuas*, quisque concedet, vt tamen differentia vltima plerisque male fit praeteruisa, licet maiorem omnino mereatur aestimationem.

#### §. XV.

Inflammationes porro esse periculosas & tutas, infidiosas & fidas, detrimentosas & salutare (in vulneribus certe), sanabiles & insanabiles, quin letales, inter omnes constat.

Porro easdem non raro esse simplices & compositas, tumque & comitatas & complicatas & consecutiuas, celeres & lentas, acutas & chronicas (nisi has *infarctus* potius denominare placeat), homotonas & anabaticas, continentes, continuas,  
inter-



intermittentes, ad typum tum tritaeum, tum tetartaeum, tum amphimerinum, in dubium nemo, existimo, vocabit *a*).

### §. XVI.

Quibus propositis, licebit ad differentias inflammationum essentialia specialia transire, quae hae fere sunt.

A. *Genuina*, cuius causa est plethora, vel vniuersalis, vel particularis, vulnus, irritatio simplex, rel., designatur constitutione robusta ac sensibili, vel naturali, vel ex anni constitutione, maxime hieme, exaestuatione & refrigeratione, contracto morbo. Inuadit absque multis prodromis, viribus & sensibus plerumque bonis; pulsus sunt pleni, celeres, subduri, duri; sanguis missus spissus, crassa alba, vel grysea, obiectus, parum, vel nihil, feri exhibens; lingua arida, interdum

*a*) Noli putare a febre re vera esse, quod inflammatio remittens, aut intermittens, videatur. Non enim solum exempla sunt, ubi continuam inflammationem, v. c. pleuritidem, comitatur febris intermittens, sed eiusmodi etiam; ubi dolor, index inflammationis, statim tempore adest, abit, redit.



dum alba, cutis initio arida; vrina ante coctionem tenuis, aut rubra, sub declinatione morbi, colore lateritio & puluerulenti quid exhibens: dolores varii, partis adfectae actio varie laesa, vt in omnibus phlegmasiis. — Atque hae quidem inflammationes, vulgares & frequentiores, non paucis solae cognitae, iudice cel. STOLL <sup>b)</sup> vnice criticos dies & modos, infra stabiliendos, seruant. — Salus accidit a crisibus & methodo curatiua, dicta antiphlogistica.

### §. XVII.

B. *Biliofa, gastrica* <sup>c)</sup>: cuius causa est saburra biliosa. Signa saburrae primarum viarum, & inflammationis symptomata. — Nulla stata & peculiaris crisis. — Salus a methodo antiphlogistica & euacuante primas vias.

C. Com-

<sup>b)</sup> rat. med. T.I. p. 66.

<sup>c)</sup> STOLL. l. c. p. 13. rel.

B

C. Complicatae genuinae, & biliosae, varietates tres, a Cel. STOLL. l. m. c. indicatae :

a. vbi diathesis phlogistica praeualuit: curatio exposcit, vt methodus anti-phlogistica praecedat euacuantia.

b. vbi praeualet faburra constitutionem phlogisticam: curatio vult, vt euacuantia praecedant methodum anti-phlogisticam. Quare fit, vt phlebotomia vtilitatem nullam praestet ante euacuantium vsum, dum post eum efficit eximiam.

c. vbi fere aequali conditione diathesis phlogistica cum faburra coniuncta est. Vtraque methodus curatiua alternare debet.

D. *Phlegmatica, biliosa* d): signa faburrae primarum viarum & phlegmatis abundantiae, tempus vernum, febris lenta neruosa. — Crisis inconstans, lysis. —

d) STOLL. l. c. T. 3. p. 40.



fis. — Salus a methodo euacuante, resolvente.

E. *Verminosa*. Non dissimilis multum iam indicatae D. Signa vermium intestinalium. — Salus a methodo anthelmintica.

### §. XVIII.

F. *Pblegmatica, catarrhalis, rheumatica* e). Caussa abundantia phlegmatis, feri acris. Signa constitutionis phlegmaticae, inflammatio partis latius diffusa, non raro periculi magis expers, etiam nobiliora viscera occupans, chronica facile, benigna resolutione, citra leges coctionis & criseos, soluitur. — Salus a ferum euacuantibus, maxime vesicatoriis topicis & foniculis, rel.

G. *Nervosa*: non paucis *maligna*. Caussa est sensibilitas & irritabilitas maior, ex debilitate vel lente acquisita, vel e corrupto morbo, potissimum putrido, aut  
 B 2 bilio-

e) STOLL. l. c. T. I. p. 85.



bilioſo. Signa debilitatis maioris, anaimia non raro; inflammata pars ſubrubicunda eſt, aut pallescit, febris typhodes, lenta neruoſa eſt. — Salus a reſicientibus, roborantibus, maxime cortice peruuiano, camphora, rel.

### §. XIX.

H. *Putrida*. Cauſſa eſt morbus putridus, cuius ſigna adſunt: pars inflammata albescit, liueſcit, facile exanthematibus ſtipatur, & in ſuppurationem ichoroſam, vlcerofam, ac gangraenam, tranſit. — Salus ab antiſepticis & reſicientibus, poſt euacuantia neceſſaria.

I. *Bilioſa, putrida f)*. Cauſſa eſt morbus bilioſus, putridus, cuius ſigna conſpiciuntur: plerumque inflammatio occulta eſt, ſeu anodynia ſtipata, ſenſus quandoque moleſtus, grauatiuus, fixus, dolor aliquando ex attactu, aut leuiſſimo partis

f) A. WIENHOLT. d. de infl. occult. Goett. 1772 4.



partis laesae motu. — Salus post euacuantia ab antiseptiis, acidis, alumine, cortice, rel.

K. *Purulenta*. Causa est pus, genitum vel in toto corpore, vel in inflammata parte.

a. *Primaria*. Enascitur e sponte generata suppuratione, vel vniuersali, vel topica. Crisis per suppurationem bonam, aliasque vias consuetas.

b. *Secundaria*. Exoritur ab apostemate, vomica, enatis ex morbo alio praegresso, & huc vsque etiam non raro perdurante, facillime ex inflammatione genuina, non benigne resoluta, aut aliunde terminata, soluta, vulnere, calculo, rel.

Signa suppurationis vel vniuersalis, vel topicae, vulgaria & phlegmasiae. Crisis per apostema, vlcus, aliasque vias. — Salus a suppuratione pro morbi varii coniuncti indole adiuta.

§. XX.

## §. XX.

L. *Scorbutica*. Caussa scorbutus. Signa huius. Salus ab antiscorbuticis.

M. *Scabiosa*. Caussa scabies retenta, suppressa. Signa huius suppressionis. — Salus a restituta scabie per insitionem scabiei, usum camphorae, flor. sulphuris, rel.

N. *Veneræa*. Caussa morbus venereus. Signa huius. Salus ab antiueneris, mercurialibus.

O. *Atrabilaria*. Caussa atra bilis. Signa constitutionis atrabilariae; plerumque lenta, chronica; dolores magis grauii; in sanguine emisso atrii cruoris maior copia. — Salus a haemorrhagiarum restitutione, resoluentibus & roborantibus.

P. *Arthritica*. Ab arthritide, nimirum

a. *suppressa*. Signa eius suppressionis: salus a restituta.

b. *la-*



b. *latente*. Signa eius. Salus a cura arthritidis.

Q. *Calculosa*. Signa calculi varii, v. c. renalis, aut hepatici. – Salus a curatione antilithica, lithontripticis, rel.

### §. XXI.

R. *Sarcomaticam* inflammationem dixeris, quae sarcoma ipsum progignit, aut quae lympham transfudantem circa partis peripheriam comitem habet, vt inde & coalitus partis proximae, vt pleurae & pulmonum, contingat: quam quidem inflammationem HUNTERVS *humidam* vocat. Signa obscura, nisi in externis fit.

a. Ab eadem proxime abest *scrophulosa* g), aut

b. *scirrhusa* h), cuius GALENVS meminit, quae maxime glandulis infesta

g) TOETTELMAUN. d. §. 21.

h) GALEN. de cris. l. 2. c. 12.

feſta, & facile chronica eſt: ſe-  
cundaria non raro eſt, & genuinae,  
aliarumque, non benigne reſoluta-  
rum, pedifequa.

§. XXII.

Soluuntur inflammationes reſolutione  
benigna, aut criticis excretionibus, per  
vias conſuetas, aluum, vrinam, ſudo-  
rem, ſputa, rel., aut per metaſtaſin &  
metaſchematiſmum. Ita iam dixi, non  
raro genuinam tranſire in purulentam aut  
ſcirrhoſam inflammationem. Adiungo gan-  
graenam, deſquamationem cutaneam,  
hydropem.

§. XXIII.

In aliud tempus differo, quae de  
prognofi inflammationum, potiffimum e  
differentia eſſentiali ſpeciali aeſtimanda,  
& de curatione dicenda eſſent, iis iam  
contentus, quae de hac ad conſtituen-  
dum



dum characterem inflammationum adiace-re placuit. Quoniam vero curatio super-  
 strui omnino caussis debet, indeque, post-  
 quam differentiis essentialibus specialibus,  
 quae caussis nituntur, satis est factum, e  
 reliquis caussis diiudicari debet, non su-  
 perfluum videtur, meam de inflamma-  
 tionum caussis sententiam denuo breui  
 proponere, vt vno intuitu res declare-  
 tur.

*Caussae* inflammationum vere exi-  
 stentium, secundum obseruationes, quae  
 differentias inflammationum essentielles  
 sistunt §§. XVI - XXI., *materiales* sunt  
 morbi varii, plethora, putredo, sabur-  
 ra primarum viarum, scorbutus, sca-  
 bies, rel.

*Causa* inflammationum *formalis* est  
 relatiua imbecillitas vasorum sanguifero-  
 rum ad humores tranfituros, cum maiori  
 vasorum sanguiferorum actione, §§. IV. V.;  
 vnde inflammatio vel est idiopathica, vel  
 sympathica, §§. VII. VIII. IX. X.

*Caussae*

*Causae remotae* tum spectant ad  
morbum varium, seu causam materialem,  
tum ad causam formalem, de quibus dixi  
§§. VIII. IX.





VD 18  
PICA







ANALECTA  
DE  
INFLAMMATIONE.

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,

IN

REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE

D. IOAN. FRID. GOTTLIEB  
GOLDHAGEN,

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE  
NATVRAE

PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,  
CIRCVLV SALICI, COMITATVS MANSFELDENSIS  
ET

CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLEMNITER CONSEQVENDO

AD D. XVIII. MART. CIOIO CCLXXXIII.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERT

AVCTOR,

IOAN. CAROLVS AVGVSTVS BARTELS,  
HALENSIS.

HALLAE,

TYPIS HENDELIANIS.

